

Kazimierz Nasiłowski

De potestate sacerdotali secundum Gratianum : (continuatio)

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 19/3-4, 9-36

1976

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

KAZIMIERZ NASIŁOWSKI

DE POTESTATE SACERDOTALI SECUNDUM GRATIANUM
(continuatio)

Caput secundum

**DE DISTINCTIONE POTESTATUM PECULIARI RATIONE HABITA
POTESTATIS SACRAMENTALIS NOMINE POTESTATIS DISTRI-
BUENDI SACROS ORDINES ET NOMINE OFFICII VOCATAE**

I. De elementis distinctionis

Problema de potestate sacerdotali in oppositione inter sententiam Augustini supra relatam et opinionem Gratiani consistens in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 ita a Magistro explicatur: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis. Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, offitium et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenuis retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur, sicut coniugati ab inuicem discedentes coniugium semel initum non dissoluunt, ad opere tamen coniugali inueniuntur alieni.”

Ut dictum est, Augustinus distinctionis inter potestatem sacramentalem eamque inamissibilem ex ordinis sacramento provenientem, et potestatem non sacramentalem atque amissibilem ex mandato Ecclesiae extra ordinis collationem dando dependentem implicitam rationem habuit.

Gratianus autem potestatem sacramentalem ab Augustino admissam non negat, immo sacramenta a quibusvis sacerdotibus in forma Ecclesiae celebrata ratione sacramenti valida esse asserens eam aperte agnoscit. Sed Magister neque existentiam potestatis non sacramentalis ab Augustino agnitam tollit, nam in oppositione contra Doctorem illum Ecclesiae in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 adducta potestatem non sacramentalem sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis amitti asserit.

Ad hanc Gratiani opinionem de sacramentali et non sacramentali potestate comprobandum nunc aliud argumentum accedit, scilicet

ex § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1, ubi legimus: „Recedentes uero ab integritate fidei, *potestatem acceptam sacramento tenus* retinent, *effectu suae potestatis penitus priuantur...*” Non est enim dubium, quin Magister nomine potestatis sacramento tenus acceptae sacramentalem ordinis potestatem denotaverit. Significatio tamen *effectus* potestatis sacramento tenus acceptae eodem modo obvia non est.

Augustinus in C. I q. 1 s. 97 potestatem sacramentalem nomine *iuris dandi* vocatam et in ordinatione insitam sacerdotibus haereticis non amitti probat. Gratianus vero in oppositione contra Doctorem illum Ecclesiae in § 2 dicti post praefatam auctoritatem allata nullam potestatem sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis reliqui asserit. Quia autem eadem potestas inamissibilis simul et amissibilis esse non potest, sequitur, ut in controversia inter hos viros doctos agitata duplex potestas, alia nempe sacramentalis et inamissibilis, alia vero non sacramentalis et amissibilis assignata sit.

Quia deinde in ipsa controversia duplex atque diversa potestas sacerdotalis, amissibilis nempe et inamissibilis, annotata est, etiam in solutione huius controversiae utraque potestas aliquatenus resplendeat necesse est.

Quapropter solutionem quaestionis in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 a Gratiano datam in nullo praeiudicantes duplex praefatum elementum, i.e. potestatem sacramentalem eamque inamissibilem, et potestatem non sacramentalem eamque amissibilem in hac solutione contineri debere iamnunc concludere possumus, sive his sive aliis nominibus elementa illa vocentur. Sine enim veritatis praeiudicio identitati nominum in casu identitas praefatorum elementorum praeferenda esse videtur.

In recta controversiae solutione idem obiectum ac in ipsa controversia atque omnia quaestionis agitatae elementa opposita aliquo modo comprehendenda sunt, ita scilicet, ut aut unum quaestionis pertractatae elementum totum, alterius vero tantum pars agnoscatur, aut alio ex toto agnito aliud penitus non agnoscatur, aut utrumque simul vel agnoscatur vel refutetur. Secus enim introductio diversorum controversiae elementorum ratione destituta esset, plenus enim nexus vel ratio recta inter ipsam controversiam et eiusdem solutionem intercedens nil intenderet, quo in casu solutionis quaestionis nulla esset.

Et revera in solutione quaestionis in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 a Gratiano allata duo praefata potestatis sacerdotalis elementa, aliud scilicet inamissibilitatis, aliud vero nota amissibilitatis praeditum, in verbis: „Recedentes uero ab integritate fidei, *potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur...*” inesse concludendum est.

Ad quaestionem igitur nostram quod attinet, tres sententias peculiari attentione dignas habemus, scilicet assertionem Gratiani de recentibus ab Ecclesia potestatem sacramento tenus acceptam retinentibus, effectu vero suae potestatis penitus privatis, sententiam Augustini, secundum quam ius baptizandi et ordines conferendi in ordinatione insitum non amittitur, et opinionem Magistri huic sententiae in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 oppositam, secundum quam sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis *nulla potestas sacrificandi* et ordines conferendi *relinquitur*.

His tribus enuntiationibus comparatis necnon ratione habita eorum, quae de elementis controversiae etiam in eiusdem solutione attendendis dicta sunt, non est dubium, quin verba in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 relata: „*Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent*”, de sacramentali ordinis potestate, verba vero: „*effectu suae potestatis penitus priuantur*” potestatem non sacramentalem respiciant, quamvis haec altera potestas nomine effectus potestatis sacramentalis vocata sit.

Sed in solutione quaestioonis in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 allata aliae quoque assertiones ponuntur, quarum sensus obvius non est, quapropter et hae examinandae sunt.

Eiusmodi difficultate iam prima huius solutionis assertio laborat, quae est: „*Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis.*”

Quaestio enim est, quid nomine *potestatis distribuendi sacros ordines*, quid vero nomine *executionis* hic a Gratiano denotatum sit.

Quia autem in ipso principio quaestioonis de potestate sacerdotali solvendae et in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 allatae Magister distinctionem duorum elementorum verbis: „*aliud esse... aliud esse...*” assignatorum ponit, utrum distinctio haec in cuncto praefato fragmendo in § 3 eiusdem dicti allato valeat, necne, merito quaeri potest. In hac quaestione solvenda imprimis ipse modus distinguendi

A. De Gratiani distinguendi modo

Magister ope formulae: „*aliud est... aliud est...*” unam distinctionem ex duobus elementis constantem saepe assignat, ut in dicto p.c. 10 D. LXI est, ubi legimus: „*Sed aliud est postulari, aliud eligi*”. Similiter legimus in dicto p.c. 21 C. IX q. 3: „*Sed aliud est quod ex temeritate assumitur presumptionis, aliud quod ex necessitate geritur karitatis*”, et in dicto p.c. 42 C. XVII q. 4: „*Aliud est in suos... usus res ecclesiae conuertere... aliud est quod ex dispensatione karitatis humanae infirmitati consulitur*”.

a Gratiano in Decreto adhibitus examinandus est.

Ut patet, in unoque casu de una tantum distinctione ex duobus elementis constanti procul dubio agitur. Si igitur in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 in potestate distinguenda de multiplici elemento ageretur, hoc sive formula: „aliud est... aliud est... aliud est...”, ut casus in dicto p.c. 2 C. XXXVI q. 1 habetur: „Aliud enim est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus”¹, sive alia simili, qua ex pluribus, quam ex duobus distinctionis elementis constaret, ut in dictio p.c. 24 C. XI q. 3 legimus: „sententiae notatio multipliciter intelligitur. § 1. Aliquando enim arcetur quis a liminibus ecclesiae... uel teste conscientia... uel sententia ecclesiastica... Hec sententia excommunicatio uocatur... Est et alia sententia, que anathema uocatur...” multipliciter assignandum esset.

B. De una distinctione ex duobus elementis constanti in solutione quaestionis de potestate a Gratiano peracta

1. De distinctione potestatis sacerdotalis in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 relata

In solutione quaestionis de potestate in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 allata, in ipso scilicet huius fragmenti principio bipartita formula adhibetur: „aliud esse... aliud esse...”, neque in cuncto praefato fragmento alia formula distinctionis datur. Imputare autem Gratianum, qui in distinguendo praecellit, quod in § 3 praefati dicti praeter unam tantum distinctionem ex duobus elementis constantem et expresse annotatam aliarum etiam distinctionum elementis expresse non assignatis usus sit, iniustum esse videtur. Unam igitur distinctionem in cuncta solutione quaestionis de potestate in § 3 eiusdem dicti data a Gratiano introductam esse, quapropter et attendendam esse, concludendum est, quamvis utrumque elementum distinctione hac assignatum uno altero nomine vocetur.

Distinctio enim ex duobus elementis constans in solutione quaestionis de potestate in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 data semel tantum expresse annotata est, scilicet in principio fragmenti praefato loco allati: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis.”

¹ Ecce alii multiplicis distinctionis casus: dictum itroductorium q. 1 C. XIX: „§ 2. ...sed error alias est personae, alias fortunae, alias conditionis, alias qualitatis”; dictum Gratiani p.c. 22 D. III dp.: „Sicut enim karitas alia est incipiens, alia est perficiens, alia perfecta: sic et penitencia alia est incipientium, alia perficientium, alia perfectorum”.

Haec tamen distinctio ita ibidem repetita est: „Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, officium et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur...”

De una autem eademque distinctione in praefato loco expresse posita et pluries repetita ex eo comperimus, quod in primo casu distinctio haec instar principii generalis ponitur, quod diversis exemplis in secundo et tertio casu illustratur.

Dum enim in primo casu Gratianus distinctionem potestatis dat, in secundo casu, quam potestatem catholici in Ecclesia in ordinazione sua accipient, in tertio autem casu, quam potestatem sacerdotes ab Ecclesia recedentes retineant, qua vero priventur, explicat.

Ex eo igitur, quod distinctio in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 a Gratiano allata ex duobus tantum elementis constat et semel posita pluries illustrata seu casibus peculiaribus applicata est, de unica distinctione in cuncta paragrapho tertia praefati dicti data eaque ex duobus tantum elementis constanti concludendum est.

Deinde Augustinus in C. I q. 1 c. 97 „ius dandi” baptismum et ordines, quod in ordinatione inest, i.e. sacramentalem ordinis potestatem, recedentibus ab Ecclesia non amitti asserit.

Gratianus autem in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 Augustino resistens sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis nullam potestatem sacrificandi reliqui, degradatos vero episcopos potestatem sacros ordines largiendi non habere affirmat, quamvis potestas haec ex consecratione proveniat.

Opposito igitur inter Augustinum et Gratianum potestatem respiciens non contrario, sed contradictorio modo qui dicitur pronuntiata est. Ne autem Magister ratione suae oppositionis ita pronuntiatae Augustinum penitus reprobare videatur, in § 3 eiusdem dicti praefatam quaestionem de potestate ope compromissi solvit sacerdotibus aliquid amitti aliquid vero non amitti asserens.

Id autem, quod sacerdotes non amittunt, ut secundum Augustinum, sic secundum Gratianum sacramentalis potestas ordinis est, ab illo *ius dandi* baptismum et ordines, quod in ordinatione inest, ab isto vero *potestas accepta sacramento tenus* vocata, quae ex consecratione provenit. Secundum utrumque virum doctum potestas haec inammissibilis est. Potestas igitur sacramentalis ut controversiae inter Augustinum et Gratianum habitae et in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 indicate, sic solutionis huius controversiae in § 3 eiusdem dicti datae unum elementum est.

Deinde, quod sacerdotibus amittitur, in oppositione contra Augustinum in § 2 praefati dicti *potestas* a Gratiano vocatur. Potestas haec, quia amittitur, non sacramentalis est. Quia autem contro-

versia inter Augustinum et Gratianum potestatem amittendam et non amittendam respicit, ut solutio quoque huius controversiae ope compromissi in § 3 memorati dicti peracta ad potestatem amittendam et non amittendam referatur, necesse est.

Cum ergo id, quod sacerdotibus amittitur, in oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 *potestas* a Gratiano vocatur, id autem, quod in solutione huius controversiae in § 3 eiusdem dicti amitti dicitur, et *effectus potestatis sacramento tenus acceptae* vocatur, potestas sit necesse est.

Quia autem in cuncta § 3 memorati dicti unica distinctio datur tantum ex duobus elementis constans, nempe alio amissibili alio inamissibili, elementum autem amissibile nomine effectus potestatis sacramento tenus acceptae vocatum potestas est, sequitur, ut idem elementum amissibile interdum nomine *exsecutionis potestatis distribuendi sacros ordines*, interdum vero nomine *exsecutionis officii* appellatum potestatem quoque amissibilem i.e. non sacramentalem, denotet.

Quae argumentatio nostra ita abbreviari potest: Solutio controversiae inter Augustinum et Gratianum habitae et in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 a Magistro allatae haec est: Primo, distinctio inter *potestatem* et *exsecutionem* illius potestatis, secundo, distinctio inter *officium* et *exsecutionem officii*, tertio, distinctio inter *potestatem* et eiusdem *effectum* assignatur. De tribus igitur casibus, sed tantum de duobus eiusdem distinctionis elementis in praefata solutione agitur.

Quia autem distinctio in solutione hac posita tantum formula bipartita: „aliud esse... aliud esse...” assignata est, de duplice distinctionis elemento concludendum est. Quia deinde distinctio haec in primo casu instar generalis principii ponitur, in secundo vero et tertio casu catholicorum et haereticorum sacerdotum ratione habita applicatur, de eadem distinctione in cuncta paragraphe tertia dicti p.c. 97 C. I q. 1 concludendum est.

Distinctiones enim in secundo et tertio casu allatae applicationem sive catholicis sive haereticis unicae distinctionis in primo casu relatae constituunt. Elementa igitur in applicatione distincta eadem esse ac elementa in primo casu distincta existimanda sunt, i.e. potestas sacros ordines distribuendi eadem atque officium, eadem quoque ac potestas sacramento tenus accepta est. Exsecutio vero potestatis sacros ordines distribuendi eadem ac exsecutio officii, eadem etiam est ac effectus potestatis sacramento tenus acceptae.

Quia autem obiectum controversiae et eiusdem elementa singula eadem in ipsa controversia ac in eius solutione esse debent, et quia in controversia inter Augustinum et Gratianum agitata duo elementa insunt, potestas nempe inammissibilis et potestas ammissibilis, eadem duo elementa etiam in solutione quaestionis in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 data inesse debent.

Primum igitur elementum, quod inamissibile est, in praefata controversiae solutione nominibus: *potestas distribuendi sacros ordines, officium, et potestas accepta sacramento tenus vocatum idem ac in ipsa controversia ius dandi baptismum vel ordines potestas est.* Secundum vero elementum, quod amissibile est, quodque in memorata solutione nominibus: *exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines, exsecutio officii, et effectus potestatis sacramento tenus acceptae vocatum est, eadem potestas est, ac potestas sacrificandi vel sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis non relinquenda, de qua in obiectione contra Augustinum in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 a Gratiano allata sermo est.*

Ut autem ex inammissibilitate unius potestatis, sive in ipsa controversia sive in eius solutione annotata, de sacramentali eiusdem potestatis charactere, sic ex amissibilitate alterius potestatis, sive in ipsa controversia sive in eius solutione conspicua, de huius potestatis charactere non sacramentali concludendum est.

2. *De comparatione distinctionis potestatis sacerdotalis in dicto p.c. 97 C. I q. 1 et in dicto p.c. 37 C. XXIV q. 1 relatae*

Cum Gratianus in dicto p.c. 97 C. I q. 1 distinctionem potestatis sacerdotalis ratione habita sacramenti baptismi, Eucharistiae, et ordinis peregerit, in dicto p.c. 37 C. XXIV q. 1 eandem distinctionem ratione habita potestatis ligandi et solvendi ponit.

Quia autem ex similitudine utriusque distinctionis non solum de eius elementis, verum etiam de ipsa potestatis sacerdotalis notione a Gratiano habita facilius concludi potest, utriusque distinctionis textus una simul referimus.

T h e s i s G r a t i a n i

Dictum p.c. 96 C. I q. 1:
 „Quod uero per hereticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere effectu...”

Dictum p.c. 37 C. XXIV q. 1:
 „His auctoritatibus perspicue monstratur, quod, ex quo aliquis contra fidem ceperit aliqua docere, nec deicere aliquem ualeat nec dampnare.”

O b i e c t i o h u i c t h e s i a G r a t i a n o s u s c e p t a e t e x a u c t o r i t a t e A u g u s t i n i d e s u m p t a

Inscriptio c. 97 C. I q. 1:
 „Item obicitur illud Augustini

Dictum p.c. 37 C. XXIV q. 1:
 „§ 1. Obicitur tamen illud Au-

ad Parmenianum de hereticis etiam dampnatis:" C. I q. 1 c. 97:

„Quod quidam dicunt, baptismus, quod accepit, non amittit qui recedit ab ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis aparet frustra et inaniter dici. § 1. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud, cum baptizatur, illud, cum ordinatur... § 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est...”

stini: „Recedentes a fide nec baptismus, nec baptizandi potestatem amittunt.”

Status quaestionis seu problematis indicatio

Dictum p.c. 97 C. I q. 1:
 „§ 2. Opponitur autem huic sententiae Augustini: Potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi. Sacramentum tamen baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagno si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacrae (imo execrandae)unctionis assumunt. Non ergo consequenter colligitur, ut, si recendentibus a fide ius baptizandi relinquitur, potestas etiam

Dictum p.c. 37 C. XXIV q. 1:
 „§ 1 Cum ergo sacerdotalem unctionem utraque potestas, baptizandi uidelicet et excommunicandi, sequatur, a fide recedentes aut utramque retinebunt, aut utraque carebunt.”

distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit."

Solutio quaesionis: Distinctio potestatis sacerdotalis

Dictum p.c. 97 C. I q. 1:
 „§ 3. Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus *aliud* esse potestatem distribuendi sacros ordines, *aliud* esse executionem illius potestatis.”

Dictum p.c. 37 C. XXIV q. 1:
 „§ 1 ... Sed *aliud* est potestas officii, *aliud* executio.”

Applicatio distinctionis eiusque explicatio

Dictum p.c. 97 C. I q. 1:
 „§ 3 Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, *offitium* et *executionem* *sui offitii* ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suaे potestatis penitus priuantur, sicut coniugati ab iniucem discedentes coniugium semel initum non dissoluunt, ab opere tamen coniugali inueniuntur alieni.”

Dictum p.c. 37 C. XXIV q. 1:
 „§ 1 ... Plerumque *offitii potestas* uel accipitur, ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel *accepta sine sui executione* retinetur, ueluti a suspensis, quibus *amministratio interdictatur*, *potestas non aufertur*. A fide itaque recedentibus potestas non adimitur, sicut redentibus non redditur, ne non homini, sed sacramento iniuria uideatur fieri. Unde ab hereticis baptizati uel ordinati, cum ad unitatem fidei catholicae redierint, si forte intuitu ecclesiasticae pacis in suis recipientur ordinibus, non iterabitur sacramentum, quod in forma ecclesiae probabitur ministratum, sed per impositionem manus prestatibus uirtus sacramenti, que extra ecclesiam nulli docetur esse

collata. Cum ergo utraque potestas in hereticis remaneat (scilicet potestas baptizandi et excommunicandi; KN), si hereticus catholicum uel alium hereticum excommunicauerit, ut in communionem suae heresis illum deducat, quia iniqua est *sentencia*, *pondere caret*. § 2. Quod si in catholicum praeue iuuentem, uel in hereticum flagiciis uel facinoribus deditum, ut alias ad recte iuendi normam uterque redeat, sentenciam dederit, an uterque, an hereticus tantum eius sententia teneatur, merito querendum uidetur? Potest autem dici, *catholicum sentencia heretici minime teneri*. Non enim potest oris gladio ferire quem accusare uel in quem testificari non ualet. Si enim quos diuina testimonia non secuntur, quia extra ecclesiam sunt, pondus humani testimonii perdiderunt aduersus eos, qui in ecclesia esse uidentur, nec aduersus eosdem *ecclesiasticae auctoritatis pondus habere* poterunt qui ab eius fide discessisse probati sunt, atque ideo ab ecclesia sunt *condempnati*. In hereticum autem *potestatem habere* uidetur hereticus, sicut et diabolus potest in malis, tamquam *in suo pecore*."

Ut ex hac comparatione patet, in utroque casu, i.e. in verbis § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1: „intelligamus *aliud* esse potestatem distribuendi sacros ordines, *aliud* esse executionem illius potestatis”, et in verbis § 1 dicti p.c. 37 C. XXIV q. 1: „Sed *aliud* est potestas officii, *aliud* executio” de una eademque potestatis sacerdotalis distinctione agitur.

In utroque enim dicto similis est thesis a Gratiano defensa, quae ad efficientiam officiorum sacerdotalium ab haereticis administratorum refertur, similis obiectio ex auctoritate desumpta Augustini

ex inamissibilitate sacramenti baptismi de inamissibilitate potestatis baptismum et ordines conferendi concludentis, similis quoque problematis solvendi explicatio est. Magister enim sive in dicto p.c. 97 C. I q. 1 sive in dicto p.c. 37 C. XXIV q. 1 problema ope distinctionis potestatis sacerdotalis solvendum intendit, et similem in utroque dicto distinctionem potestatis sacerdotalis dat, a *potestate distribuendi sacros ordines*, i.e. potestate officii, *exsecutionem huius potestatis* secernens.

Hanc autem potestatis distinctionem in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 in casu sacerdotum in Ecclesia ordinatorum et sacerdotum haereticorum, in § 1 autem dicti p.c. 37 C. XXIV q. 1 in casu presbyterorum monachorum et sacerdotum haereticorum considerat. In priore tamen dicto de distinctione potestatis sacerdotalis potius generali modo, in posteriore autem de eadem distinctione ratione habita potestatis ligandi et solvendi disserit.

Non est dubium, quin utrumque hoc fragmentum de potestate sacerdotali distinguenda simile sit. Quia autem fragmentum § 1 dicti p.c. 37 C. XXIV q. 1, quod distinctionem potestatis in potestatem officii et exsecutionem statim sequitur, a verbo „plerumque” incipit, ex quo de explicatione eiusdem distinctionis comperimus, et analogico fragmento in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 contento respondet, ubi de officio et exsecutione officii ab ordinatis in Ecclesia catholica ex ipsa consecratione accipiendis, atque de recendentibus ab Ecclesia potestatem sacramento tenus acceptam retinentibus, effectu vero suae potestatis penitus privatis sermo est, de una eademque distinctione potestatis sacerdotalis ex duobus tantum elementis constanti variis casibus applicatis atque diversis nominibus vocatis in utroque memorato dicto agi concludendum est.

Primum igitur praefatae distinctionis elementum, quod nominibus: *potestas sacros ordines distribuendi*, *officium*, *potestas sacramento tenus accepta* (§ 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1), *officii potestas*, *potestas* (§ 1 dicti p.c. 37 C. XXIV q. 1), vocatur, unum idemque elementum est. Similiter et secundum eiusdem distinctionis elementum, quod nominibus: *exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines*, *exsecutio officii*, *effectus potestatis acceptae sacramento tenus* (§ 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1), *exsecutio*, *exsecutio potestatis officii*, *administratio*, *virtus sacramenti*, *pondus*, vocatur, et expressionibus designatur: *catholicum sententia haeretici minime teneri*, *non potest oris gladio ferire*, *nec ecclesiasticae auctoritatis pondus habere poterunt*, *potestas* (§ 1 dicti p.c. 37 C. XXIV q. 1), unum idemque elementum est.

Ex praefata igitur comparatione primum elementum distinctionis potestatis sacerdotalis in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 nominibus: *potestas distribuendi sacros ordines*, *officium*, et *potestas accepta sacramento tenus*, vocatum sacramentalem ordinis potestatem eam-

que inamissibilem, secundum vero eiusdem distinctionis elementum nominibus: *exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines, exsecutio offici, et effectus potestatis acceptae sacramento tenus, ibidem vocatum potestatem non sacramentalem eamque amissibilem denotare concludendum est.*

Quamvis talis significatio utriusque elementi distinctionis potestatis sacerdotalis a Gratiano peractae iam ex ipsa expositionis Magistri structura certa sit, quia tamen utrumque elementum diversis nominibus vocatur, quorum significatio quia scientiae canonisticae magni momenti est, et quia aliis quoque rationibus in enuntiationibus Gratiani fundatis demonstrari potest, utriusque praefati elementi nomina singula sive locorum parallelorum sive terminologiae Magistri ratione habita nunc ulterius examinanda sunt.

II. De potestate sacros ordines distribuendi seu de potestate sacramento tenus accepta

De potestate sacros ordines distribuendi et de potestate sacramento tenus accepta in § 3 dicti Gratiani p.c. 97 C. I q. 1 ita legimus: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis... Recedentes... ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur...”

Quia autem Gratianus quaestionem examinans, qualiter episcopi et ceteri clerici infra constituti ordinari debeant², auctoritates affert, ex quibus varios ordinis gradus episcopo conferendos esse cognoscimus³, et ordinatum ab episcopo, quem episcopum esse certum non est, iterum ordinandum esse asserit⁴, atque tantum episcopos ius consecrandi, i.e. ordines conferendi, habere affirmat, chorepiscopos autem nonnisi ordines diaconatu inferiores conferre posse dicit⁵, necnon potestatem, de qua in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 disserit, sacramento tenus acceptam vocat, non est dubium, quin Magister in laudata paragrapho de potestate sacros ordines distribuendi disserens imprimis sacramentalem ordinis potestatem in mente habuerit.

Hanc autem sacramentalem ordinis potestatem Gratianus adeo inamissibilem esse tenet, ut etiam haereticis amitti non possit, dum scribit: „Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent...”

² *Dictum Gratiani* p.c. 1 D. XXIII.

³ D. XXIII cc. 7–8, 11, 14–19; D. XXV c. 1 § 9; cf D. LXV et LXVII.

⁴ *Dictum* *introductorium* D. LXVIII et *dictum Gratiani* p.c. 2 D. LXVIII.

⁵ *Dictum Gratiani* p.c. 3 D. LXVIII.

Haec tamen sacramentalis potestas secundum Gratianum tantum ad ordines *episcopatus* et *presbyteratus* conferendos extenditur. Magister enim hos tantum ordines sacramentales esse asserit. Episcopi igitur haeretici secundum Gratianum tantum ordinem episcopatus et presbyteratus valide conferre possunt, ordines vero non sacramentales, i.e. diaconatum et ordines eo inferiores invalide tribuunt, idcirco Magister eos, qui ordines non sacramentales ab haereticis acceperunt, nihil accepisse, et ita ordinatos ad Ecclesiam redeuntes in eodem ordine, si alias digni fuerint, ordinandos esse affirmat⁶.

Cum igitur Gratianus in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 de potestate sacros ordines distribuendi, quam a fide recedentes non amittunt, loquatur, eum de sacramentali ordinis potestate disserere procul dubio concludendum est.

De hac sacramentali potestate haereticis non amittenda nomine *potestatis officii* vel simpliciter *potestatis* vocata in dicto p.c. 37 C. XXIV q. 1, quod, ut demonstratum est⁷, sive ratione distinctio- nis inter potestatem et executionem, sive ratione applicationis eiusdem distinctionis ibidem paractae dicto p.c. 97 C. I q. 1 simile est, Gratianus ita scribit: „A fide itaque recendentibus potestas non adimitur, sicut redeuntibus non redditur, ne non homini, sed sacra- mento iniuria uideatur fieri.”

Quia secundum Gratianum sacramentalis ordinis potestas haereticis amitti non potest, cum igitur Magister in § 4 dicti p.c. 97 C. I q. 1 asserat: „De his ergo, qui accepta sacerdotali potestate ab unitate catholicae ecclesiae recedunt, loquitur Augustinus...”, eum sub nomine *potestatis sacerdotalis* etiam hic de eadem sacramentali ordinis potestate disserere concludendum est.

⁶ Dictum Gratiani p.c. 23 C. I q. 7: „...queritur de his, qui ab hereticis ordinati sunt, si ad unitatem catholicae matris ecclesiae ab heresi redierint, utrum in eodem ordine iterum ualeant ordinari? „Semel enim consecratus” (ut ait B. Gregorius) „iterum consecrari non debet” (D. LXVIII c.l.). § 2. Item sacramenta, que ab hereticis in forma ecclesiae ministrantur (sicut Augustinus testatur) reiterari non debent, ne non homini, sed sacramento uideatur iniuria fieri (C. I q. 1 c. 97; vide supra, pag. [9] § 3. Sed illud Gregorii de his intelligitur, qui *consecrationem sacerdotalem* uel *episcopalem* acceperunt, qui aut per manus impositionem, cum ad ecclesiam redeunt, effectum suae unctionis accipiunt, aut ab eius amministratione perpetuo cessare iubentur. Similiter illud Augustini de eadem mystica unctione et de sacramento baptismatis intel ligitur. § 4. *Sunt autem in ecclesia alii ordines, qui sine sacramentali unctione, sola episcopi benedictione, cum quadam uasorum uel indu- mentorum distributione prestantur; ut sunt Leuitae et ceteri infra eos constituti.* Hi quamuis ab hereticis ordinentur, tamen ad ecclesiam redeuntes in eodem ordine (si alias digni fuerint) ab ecclesia ordinentur, nec fiet in eis reiteratio muneris, cum nichil ab hereticis eis docea tur fuisse collatum.”

⁷ Vide supra, pag. 15—20.

Hoc etiam ex eo patet, quod Augustinus, quem Gratianus hic provocat, de potestate ordinis sacramentali eaque inamissibili loquitur, ergo et Gratianus Augustinum explicans de eadem potestate disserere intelligendus est.

Deinde fragmentum allatum textum § 3 eiusdem dicti sequitur, in quo de potestate sacramento tenus accepta sermo est, ergo nulla mentione facta aliam potestatem denotanti nomine potestatis sacerdotalis potestatem sacramentalem hic denotatam esse procul dubio intelligendum est.

Quia autem, ut ex supra dictis patet, nomine potestatis officii sacramentalis ordinis potestas a Gratiano appellata est, cum Magister in inscriptione c. 21 C. XVI q. 1 monachos *sacerdotalium officiorum potestatem* habere asserat⁸, eum de monachorum sacramentali potestate disserere constat.

Haec autem sacramentalis ordinis potestas secundum Gratianum varia officia sacerdotalia comprehendit. In dicto enim p.c. 19 C. XVI q. 1 legimus:

„... Monachi autem, et si in dedicatione sui presbiteratus (sicut et ceteri sacerdotes) *predicandi, baptizandi, penitenciam dandi, peccata remittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi rite potestatem* accipiant, ut amplius et perfectius agant ea, que sacerdotalis officii esse sanctorum Patrum constitutionibus conprobatur: tamen *executionem* suae potestatis non habent, nisi a populo fuerint electi, et ab episcopo cum consensu abbatis ordinati.”

Ut patet, in inscriptione c. 21 C. XVI q. 1 de potestate sacerdotalium officiorum, in dicto autem p.c. 19 C. XVI q. 1 de potestate sacerdotalis officii sermo est, quae in dedicatione presbyteratus accipitur. Quia autem *dedicatio presbiteratus* ab *institutione* hic distincta est, procul dubio sacerdotalem unctionem denotat. Potestas ergo sacerdotalium officiorum, vel sacerdotalis officii, sacramentalis esse atque officia praedicandi, baptizandi, poenitentiam dandi, peccata remittendi, immo et beneficiis ecclesiasticis perfruendi comprehendere a Gratiano existimatur.

Sacramentalis autem potestas variorum sacerdotalium officiorum hic enumeratorum non alia est, nisi potestas sacros ordines distribuendi, de qua in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 sermo est, nam utraque praefata potestas ab exsecutione simili modo distinguitur.

Similiter, et quidem easdem ob rationes, de potestate baptizandi et excommunicandi dicendum est, nam nomina: *potestas officii*, et *potestas baptizandi atque excommunicandi* in dicto p.c. 37 C. XXIV q. 1 promiscue adhibentur.

Sententia autem ab episcopo haeretico lata in eodem dicto *pondere carere* dicitur non ratione potestatis sacramentalis in tali

⁸ Inscriptio c. 21 C. XVI q. 1: „Quod uero sacerdotalium officiorum potestatem habeant (monachi; KN), testatur Ambrosius...”

episcopo quasi deficientis, sed ratione vel iniquitatis eiusmondi sententiae vel ratione ligandi eos, qui proprii subditi non sunt, i.e. ob potestatem non sacramentalem deficientem, ex his enim conditionibus sententiae validitas pariter dependet.

Cum autem initio, paragrapho prima, et secunda auctoritatis Augustini in C. I q. 1 c. 97 relatae de potestate sacramentali ordinem conferendi sermo sit, Gratianus autem cum Augustino disputans in § 3 dicti post hanc autoritatem de potestate sacros ordines distribuendi, et de potestate sacramento tenus accepta loquatur, non est dubium, quin similibus his nominibus etiam ipse sacramentalis ordinis potestatem appellaverit.

Neque ex oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p.c. 97 C. I q. 1 relata, ubi legitur: „*Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet*” cum assertione in § 3 eiusdem dicti: „*Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis*” comparata argumentum contra sacramentalem characterem nomine potestatis distribuendi sacros ordines assignatum desumi potest. Ut enim demonstratum est, de alia in § 2, scilicet non sacramentali, de alia vero in § 3 eiusdem dicti, scilicet sacramentali, potestate agitur, quamvis simili nomine potestatis vocata.

Nomine igitur *potestatis sacros ordines distribuendi*, et *potestatis sacramento tenus acceptae* in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1, immo et nominibus: *potestas*⁹, *potestas sacerdotalis*¹⁰, *potestas officii*¹¹, *potestas sacerdotalium officiorum*¹², *potestas praedicandi*, *baptizandi*, *poenitentiam dandi*, *peccata remittendi*, *beneficiis ecclesiasticis perfruendi*¹³, *potestas baptizandi et excommunicandi*¹⁴ in aliis Gratiani enuntiationibus sacramentalem ordinis potestatem appellatam esse concludendum est.

III. De officio

Secunda quaestio de significatione nominis officii est, in distinctione potestatum in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1, nempe in hoc fragmendo: „*Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, offitum et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur*” a Gratiano adhibiti.

⁹ In dictis Gratiani p.c. 19, 25, 36, 40 C. XVI q. 1, et in dicto Gratiani p.c. 37 C. XXIV q. 1 supra, pag. 17—18 relato.

¹⁰ In § 4 dicti Gratiani p.c. 97 C. I q. 1; vide supra, pag. 21.

¹¹ In dicto Gratiani p.c. 37 C. I q. 1; vide supra, pag. 17.

¹² In inscriptione c. 21 C. XVI q. 1; vide supra, pag. 22. nota 8.

¹³ In dicto Gratiani p.c. 19 C. XVI q. 1.; vide supra, pag. 22.

¹⁴ In § 2 dicti Gratiani p.c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. 22.

Congruenter cum opinione supra relata de nominibus in memorato § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 adhibitis: potestas sacros ordines distribuendi, officium, et potestas sacramento tenus accepta, unum idemque elementum distinctionis a Gratiano ibidem datae, i.e. potestatem sacramentalem eamque inamissibilem, significantibus, nomine *officii* eandem potestatem sacramentalem in casu a Gratiano denotatam esse concludendum est. Utrum autem revera ita sit necne, nunc inquirendum est.

A. De potestatis cuiusdam et obligationis nota in notione officii insita

Nomine *officii* in auctoritatibus Decreti potestatem et obligationem quamdam denotatam esse iam supra animadvertisimus.^{14a} Nunc autem, utrum de notione officii potestatis cuiusdam atque obligationis nota praedita eadem Gratiani opinio sit necne, quaestio est.

1. De obligationis nota

Quod attinet ad obligationis notam in nomine officii insitam, Gratianum *clericos ex officio episcopo suppositos esse* asserere animadvertisendum est¹⁵, idcirco Magistrum nomine officii notam obligationis comprehendi tenuisse, atque persuasionem eius hac in re ab auctoritatibus Decreti non differri concludendum est.

Deinde iam ex eo, quod ex suppositione minoris officii maiori officio clericorum de obligatione in minori officio insita concludi possit, etiam e converso: ex maiorum officiorum minoribus officiis praepositione de potestate in maioribus officiis insita concludendum est¹⁶.

^{14a} Nempe in tomo secundo huius operis.

¹⁵ Dictum Gratiani p.c. 26 C. XI q. 1: „Cum ergo his omnibus auctoritatibus clerici ante ciuilem iudicem denegentur producendi, cum (nisi prius depositi, uel nudati fuerint) curiae non sunt representandi, patet, quod ad secularia iudicia clerici non sunt pertrahendi. § 1. His ita responderetur: Clerici ex officio sunt subpositi episcopo, ex possessiōnibus prediorum imperatori sunt obnoxii. Ab episcopo unctionem, decimationes et primitias accipiunt; ab imperatore uero predorium possessiones nanciscuntur. Unde Augustinus ait super Iohannem: „Quo iure uillas defendis? diuino, an humano etc.?“ Requie in principio, ubi differentia designatur inter ius naturae et ius constitutionis (D. VIII c. 1). Quia ergo ut predia possideantur imperiali lege factum est, patet, quod clerici ex prediorum possessionibus imperatori sunt obnoxii”.

¹⁶ Dictum introductorium D. XXI: „...Ministri uero sacrorum canorum et decretorum Pontificum sunt summi Pontifices et infra presules atque reliqui sacerdotes, quorum institutio in veteri testamento est inchoata, et in nouo plenius consummata. § 1. Summi enim Pontifices, et minores sacerdotes a Deo sunt instituti per Moysen (Ex 28, 1; Paral

25; 2, 23), qui ex precepto Domini Aaron in summum pontificem, filios uero eius unxit in minores sacerdotes. Postea Dauid, cum ministeria domus Domini ampliaret, ianitores et cantores instituit. Porro Salomon quendam modum exorcizandi inuenit, quo demones adiurati ex obsessis corporibus pellerentur; *huius officio mancipati exorcistae uocati sunt, de quibus Dominus in euangelio (Lc 11, 19): „Si ego in Beelzebub elicio demonia, filii uestri (exorcistae uidelicet) in quo eiciunt?” Hec omnia in nouo testamento ecclesia imitata habet suos ianitores, quos hostiarios appellamus. Pro cantoribus lectores simul et cantores instituit. Exorcistas autem nomine antiquo et officio permanente recepit. Pro filiis uero Aaron omnes infra summum pontificem sacerdotium administrantes sunt consecrati. § 2. Inter eos quendam discretio seruata est, ut alii appellentur simpliciter „sacerdotes”, alii „archipresbiteri”, alii „corepsicopi”, alii „episcopi”, ali „archiepiscopi” seu „metropolitae”, alii „primates”, alii „patriarchae”, alii „summi Pontifices”. § 3. Horum discretio a gentilibus maxime introducta est, qui suos flamines alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Simpliciter uero maiorum et minorum sacerdotum discretio in nouo testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui XII. apostolos tanquam maiores sacerdotes, et LXXII. discipulos quasi minores sacerdotes instituit. Petrum uero quasi in summum sacerdotem elegit, dum ei pre omnibus et pro omnibus claves regni celorum tribuit, et a se petra Petri sibi nomen imposuit, atque pro eius fide se specialiter rogasse, testatus est, et ut ceteros confirmaret subiunxit dicens (Lc 22, 32); „Ego pro te rogaui, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.” Hanc eadem formam apostoli secuti in singulis ciuitatibus episcopos et presbiteros ordinauerunt. Leuitas autem ab apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit B. Stephanus (Act 6): subdiaconos et acolitos procedente tempore ecclesia sibi constituit”.*

Dispositionem graduum ordinis hierarchicam Gratiano notam esse ex eo cognoscimus, quod iste in D. XXIII, postquam auctoritatem de electione Romani Pontificis (c. 1) et aliorum praelatorum (c. 2—6) praemisit, auctoritates tractantes de ordinando episcopo (c. 7), presbytero (c. 8), interiectis praescriptis de usu indumentorum in ordinis collatione recipiendorum (c. 9—10), de ordinando diacono (c. 11), presbytero et diacono (c. 12—13 [palea], c. 14), subdiacono (c. 15), acolito (c. 16), exorcista (c. 17), lectore (c. 18) ostiario (c. 19), et psalmista (c. 20) ex ordine referat.

De potestatis atque obligationis cuiusdam nota in nomine officii insita ex his etiam Gratiani enuntiationibus concludi potest: *Dictum Gratiani p.c. 43 C. I q. 1: „Ecce cum honoris periculum euadant, ut cetera sacramenta sacerdotaliter administrare permittantur, ab hoc solo non modo pro heresi uel qualibet maiori culpa, sed etiam pro negligentia remouentur. In quibus omnibus sollicite notandum est, quod sacramentum sacerdotalis promotionis pre ceteris omnibus magis accurate et digne dandum uel accipiendo est, quia nisi ita collatum fuerit, eo desinet esse ratum quo non fuerit rite perfectum. Cetera enim sacramenta unicusque propter se dantur... Istud solum non propter se solum, sed propter alios datur, et ideo necesse est, ut uero corde munidaque conscientia, quantum ad se, sumatur, quantum ad alios uero non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia, propter fratrum scandalum, ad quorum utilitatem, non solum ut presint, sed etiam ut prosint, sacerdotium datur.”; Dictum Gratiani p.c. 44 C. I q. 1: „Reuera enim, qui ad hoc eliguntur, ut ceteris presint, sicut preordinatur dignitate, sic preminere debent sanctitate. Alioquin cur ceteris preferuntur, qui nulla meritorum gratia a ceteris assumuntur?”; Dictum Gratiani p.c. 95 (palea) C. I q. 1: „Cum uita sacerdotum eucharistiae*

necessaria esse dicitur, non *consecrationi*, sed *effectui* intelligendum est; non enim effectum confert salutis ei, quem merita faciunt indignum... Quod uero sacerdos, etiamsi malus sit, tamen *pro officio suae dignitatis gratiam transfundat hominibus*, testatur Augustinus in lib. questionum ueteris test. (liber apocryphus; c. 11)... Dictum Gratiani p.c. 39 C. II q. 7: „§ 2. His ita respondetur: Christus, quamuis esset pastor suarum ouium, quas uerbo et exemplo pascebat, tamen *quantum ad officiorum distributionem (ex qua hodie in ecclesia alii presunt alii, unde quidam prelati quidam subditi vocantur)* in populo illo pastorale munus non gerebat. Mistica enim et uisibili unctione nec in regem, nec in sacerdotem unctus erat, que solae in illo populo personae *prelature* nomen sibi uendicabant. Non ergo ex hac auctoritate subditi probantur admittendi in accusatione prelatorum, sed tantum ostenditur, quod auditores eos reprehendere possunt, et in eos testificari, qui cum officia ecclesiastica non habeant, uerbo tamen et exemplo quoscumque ualent lucrari Deo satagunt.”; Dictum Gratiani p.c. 41 C. II q. 7: „§ 3. Sed notandum est, quod duae sunt *personae, quibus mundus iste regitur*, regalis uidelicet et *sacerdotalis*. Sicut reges *presunt* in causis seculi, ita *sacerdotes in causis Dei*. Regum est corporalem inrogare penam, *sacerdotum spiritualem inferre vindictam*... § 4. Sicut ergo Achaz a Domino lepra percussus est, qui sacerdotum officia usurpare uoluit, sic sacerdotibus et prophetis regum officia usurpare non licuit. *Nathan ergo propheta, cum regem redarguit, suum executus est officium, in quo erat rege superior*, non usurpauit regis officium, in quo erat rege inferior; monuit eum, ut per penitentiam peccata sua expiatet, non tulit in eum sententiam, qua tamquam adulter et homicida morti addiceretur. § 5. Sic et B. Ambrosius *in imperatorem excommunicavit*, et ab ecclesiae ingressu prohibuit. § 6. Sicut enim non sine causa iudex gladium portat, ita non sine causa claves ecclesiae *sacerdotes accipiunt*. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem uero bonorum, *isti claves habent ad exclusionem excommunicatorum et reconciliationem penitentium*. Hoc ergo exemplo subditi probantur reprehendendi a prelati, non prelati a subditis.”; Dictum Gratiani p.c. 40 C. XVI q. 1: „...Hoc idem datur intelligi ex uerbis B. Siluestri, qui obedientiam minorum erga maiores assignans ait: „Abbas hostiario, monachus abbati sit subditus”, supra in tractatu ordinandorum. Ostendit ergo Ieronimus, quod simpliciter monachis nichil liceat agere sine consilio presbiterorum. Nec officium docendi sibi assumere liceat sine auctoritate clericorum, nisi [forte] diuina gratia intus commoniti, sicut B. Gregorius refert in dialogo de B. Benedicto, qui homines montis Cassini ad fidem adduxit, et aram Apollinis, que ibi erat erecta, subuertit; et de quadam Equicio, cui angelus in somniis apparuit, et eum ad predicandum misit, qui, cum de uicio linguae conqueretur, angelus flebotomo linguam eius tetigit, et totum iucum illud curauit... § 2. Ecce sufficienter monstratum est, quod *monachis presbiterii honore decoratis*, a populo electis, ab episcopo institutis, *eadem liceant, que et aliis sacerdotibus*. Probatur hoc etiam ex similitudine consecrationis. Non enim in consecratione eorum aliud dicitur, et aliud in consecratione aliorum. Utrisque enim in commune a Domino benedictionem infundi episcopus obnixe depositit. Et dum consecrat, cunctis sacerdotibus singillatim dicit: „Consecrantur et sanctificantur, Domine, manus istae, ut quicquid consecraverint consecratum sit, et quecumque benedixerint benedicta sint”. Ecce communis est *benedictio*. Unde igitur diuortium? Sicut ergo in *benedictione* utrique communem *nanciscuntur potestatem*, ita in *institutione* communiter assentunt *potestatis executionem*. § 3. Ceterum absque episcoporum licentia non solum monachis, sed etiam omnibus generaliter clericis potestatis executio interdicitur.”; Dictum Gratiani p.c. 8 C. XVIII q. 2: „Ecce

2. *De potestatis nota*

Ex variis Gratiani enuntiationibus Magistrum nomine officii potestatem denotasse concludi potest.

Gratianus enim expressione *pro officio* vel *ex officio* saepe utitur, qua potestatem quamdam denotat. Et sic secundum Magistrum peccator sacramentorum minister catholicus, non vero haereticus,

in Tolletano concilio dicitur, quod sacerdotes *abbates et alia officia* instituere debeant. B. Gregorius et Pelagius prohibent, dicentes, abbatem a fratribus suae congregatiōnis eligendum et ordinandum. Quomodo ergo hec tanta diuersitas ad concordiam reuocabitur? Sed sciendum est, quosdam monachos esse indomitae ceruicis et effrenatae superbiae, quos dum abbates ad religionem cogere voluerint, in eorum deiectione conspirant, et alium moribus suis conuenientem sibi preficere contendunt, quales erant illi, qui in necem B. Benedicti conspirasse leguntur. Pro huiuscemodi constitutum est, ut *abbates et alia officia* per sacerdotes *instituantur*"; Dictum Gratiani p.c. 25 C. XXIII q. 5: „Preterea, sicut principibus et potestatibus fidem et reverentiam exhibere cogimur, ita secularium dignitatum *amministratoribus* defendendarum ecclesiarum *necessitas incumbit*..."; Dictum Gratiani p.c. 4 C. XXIV q. 1: „§ 1. ...Sicut autem *ex eo*, quod Apostolus ait (I Cor 5, 13): „Frater", et *ex his*, que de fidilibus et infidelibus supposuit, apparet, non nisi fidelem excommunicandum, ita *ex eo*, quod fidelibus tantum hoc scribitur, uel potius, quia *sicut ille qui benedicit, maior est eo, cui benedicitur, ita qui ex officio maledicit maior est eo, cui maledicitur*, liquido constat, eum, qui ab *integritate* catholicae fidei recedit, *maledicendi uel benedicendi potestatem* minime habere. Catholicum namque, utpote superiorem se, meledicere *non ualeat*; in alienum a fide, tamquam in sibi equalē, sentenciam dare *non potest*. Hec autem, que de hereticis, atque scismaticis, uel excommunicatis dicta sunt, uidelicet, quod *ligandi uel soluendi potestatem* non habeant, multorum auctoritatibus probantur"; Dictum Gratiani p.c. 16 C. XXV q. 1: „§ 1. ...In premissis ergo capitulis aliis inponitur *necessitas obsequendi*: summis uero Pontificibus ostenditur inesse auctoritas obseruandi, ut a se tradita obseruando aliis non contempnenda demonstrent, exemplo Christi, qui sacramenta, que ecclesiae seruanda mandauit, primum in se ipso suscepit, ut ea in se ipso sanctificaret. Oportet ergo primam sedem, ut diximus, obseruare ea, que mandauit decernendo, non necessitate obsequendi, sed auctoritate imperandi... § 2. ...Sacri siquidem canones ita aliquid constitut, ut suae interpretationis auctoritatem sanctae Romanae ecclesiae reseruent. Ipsi namque soli canones ualent interpretari, qui ius condendi eos habent. Unde in nonnullis capitulis conciliorum, cum aliquid obseruandum decernitur, statim subinterfertur: „Nisi auctoritas Romanae ecclesiae imperauerit aliter", uel: „saluo tamen in omnibus iure sanctae Romanae ecclesiae", uel: „salua tamen in omnibus apostolica auctoritate". ...Cum ergo aliqua priuilegia ab Apostolico aliquibus conceduntur, etsi contra generalem legem aliquid sonare uideantur, non tamen contra ipsam aliquid concedere intelliguntur, cum ipsius legis auctoritate priuilegia singulorum penes matrem omnium ecclesiarum reseruentur..."

quidquid „pro officio suo” facit, *ratum est*¹⁷, officium autem secundum Gratianum idem est ac *auctoritas*¹⁸.

Potestatem in officio contentam haec verba Gratiani indicant: „Cum ergo Petrus *potuit ex officio* repellere querelas, sed noluit, non hoc exemplo coguntur prelati suspicere reprehensionem subditorum”¹⁹. Haec enim enuntiatio Magistri in auctoritate Gregorii Papae fundatur, in qua de *potestate officii* sermo est²⁰.

Secundum Gratianum sententia praelati ex officio lata iudicario ordine servato vim suam retinet²¹. Ut autem sententia rata sit, auctoritas eam proferendi necessaria est²². Illum autem, qui ex officio maledicit, i.e. excommunicationis sententiam profert, Gra-

¹⁷ Dictum Gratiani p.c. 75 C. I q. 1: „Sed hoc de peccatore tantum catholico, non heretico intelligendum est. Qui quicquid cum fide *pro officio* suo facit licet indignus, tamen diuina gratia cooperante *ratum esse* creditur (Nota Friedb.: conceditur: EG). Alioquin si de hereticis dictum intelligitur, ipse sibi contrarius esset, cum dicat in Oseae: „Sacrificia eorum etc.” (Hier. in Amos c. 5). Et alibi...”; Dictum Gratiani p.c. 95 (palea), C. I q. 1; vide supra, pag. 25–26 nota 16.

¹⁸ Dictum Gratiani p.c. C. 31 C. II q. 7: „Quia ergo non omnes episcopi sunt episcopi, presbiteri a Daniele puero iudicantur, sal infatuatum a porcis conculcatur, et qui dicit: Pax uobiscum, plerumque non columba, sed coruus reputatur: patet, quod non semper *pro officio* uel *auctoritate* personae ab accusatione est cessandum, imo contra prauos est agendum, cum omnis persona criminaliter peccans alteretur, et (ut ita dicam) *capite minor* legibus censeatur. Qui enim facit peccatum seruus est peccati tam in pena quam in culpa.”

¹⁹ Dictum Gratiani p.c. 40 C. II q. 7.

²⁰ C. II q. 7 c. 40 — epist. Greg. ao 601 scr.: „Petrus *potestatem regni* accepérat, et tamen idem *apostolorum primus* querimoniae contra eum a fidelibus factae, cur ad gentes intrasset, non *ex potestate officiti*, (*qua posset* dicere, oves pastorem suum non accusent nec reprehendant,) sed auctoritate diuinæ uirtutis, qua gentiles acceperant Spiritum sanctum, respondit.”

²¹ Dictum Gratiani p.c. 7 C. III q. 7: „...Multi etiam alii tam in ueteri testamento quam in nouo inueniuntur, quorum uita cum esset blasphemabilis, tamen eorum *sententia*, *quia ex officio* suo seruata iudicarii ordinis integritate processit, *inuenitur seruata*. Unde et Dominus ait in euangelio (Mt 23, 2): „Super cathedralm Moysi sederunt scribe et Pharisei etc.” Hinc liquido constat, quod mali pastores... sibi ipsis nocent... subditis uero prosunt... Ac per hoc, dum ab ecclesia tollerati fuerint, eorum iudicium subterfugere non licet.”

²² Dictum Gratiani p.c. 2 C. V q. 4: „Quod uero absque sinodalibus audiencias episcopus *dampnari prohibetur*, sine prejudicio Romanae sedis intelligi oportet, que sua *auctoritate* quosque *ualet dampnare uel dampnatos absoluere*. Unde Gelasius (C. IX q. 3 c. 16); „Ipsi sunt canones etc.” infra causa: „Sententia excommunicationis notatus.” § 1. Item Adrianus (c. 8): „Saluo Romanae ecclesiae in omnibus primatu, manifestum est, quod illa, que sunt per unamquamque prouinciam ipsius prouinciae sinodus dispensem, sicut Niceno constat esse decretum concilio...”

tianus eo *maiores* esse dicit, cui maledicitur, verbo „*maiores*” potestatem assignatam esse intelligens²³.

Magister pastores animarum ratione distributionis officiorum et pastoralis officii *praelatos subditorum suorum* esse tenet²⁴, sacerdotes ratione sui officii *regibus superiores* esse asserit²⁵, officio Sedis Apostolicae tanquam competentis iudicis episcopos sedibus simoniace occupatis *removeri posse affirmat*²⁶, nomine officii *cathedram episcopalem*²⁷, vel *locum regiminis* denotat²⁸, vel alicuius *civitatis episcopum esse*²⁹, vel *episcopatum habere designat*³⁰.

Cum Gratianus in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 asseruerit: „Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, offitium et executionem sui offitii

²³ Dictum Gratiani p.c. 4 C. XXIV q. 1: vide supra, pag. 27 nota 16.

²⁴ Dictum Gratiani p.c. 39 C. II q. 7; vide supra, pag 26 nota 16

²⁵ Dictum Gratiani p.c. 41 C. II q. 7: vide supra, pag. 26 nota 16.

²⁶ Dictum Gratiani p.c. 6 C. III q. 1: „...Illi ergo, quorum electio uiciosa est, uel qui a clero non sunt electi, uel a populo expetiti, uel qui per symoniam inrepserunt, non sunt habendi inter episcopos, et ideo, si a sedibus, quas tenere uidebantur, expulsi fuerint, non possunt restitutionem petere ante, quam uocentur ad causam... Sed hoc in eo tantum casu intelligitur, quo aposolica sedes per violentiam occupatur, quo casu iudex non inuenitur, cuius offitio ille apostaticus possit excludi...”

²⁷ Dictum Gratiani p.c. 11 C. VII q. 1: „Ecce his auctoritatibus patenter ostenditur, quod episcopo uiuente alias superordinari non potest, nec etiam pro eius egritudine. Sed illud Gregorii intelligentum est, quando ille, qui egrotat, alium sibi substitui non rogat. Ceterum, quando aliquis uel senectute, uel infirmitate grauatum susceptum offitium amministrare non ualeat, si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fieri potest. Unde in eodem capitulo (Nota Friedb.: ex epist. Greg. M. ao 601 scr., ex qua c. 1 C. VII q. 1 desumptus est) sequitur: „Si uero idem Iohannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab *episcopi* (Nota Friedb.: episcopii: CF; episcopali: A; episcopatus: orig.) honore debeat uacare, eo petitionem dante scripto, cededendum est; aliter id facere non ualemus. „Hinc etiam B. Augustinus episcopo suo nondum defuncto, sed senectute grauato, *cathedram episcopalem suscepit.*”

²⁸ Dictum Gratiani p.c. 16 C. VII q. 1: „Ecce, quod episcopo petente, precibus etiam populi, infirmitate grauato alias possit subrogari, patenter monstratur. Senectute autem grauato non successor, sed coadiutor dari debet, qui ei decedenti in *locum regiminis* succedat. Sic Augustinus dicitur accessisse, non successisse Ypponensem episcopo.”

²⁹ Dictum Gratiani p.c. 41 C. VII q. 1: „Ecce in quibus casibus episcopo uiuente alias potest ei substitui, quamquam secundum rei ueritatem non uiuente episcopo talis probetur succedere. Translatus enim ab una ciuitate ad aliam *desinit esse episcopus illius ciuitatis, a qua transfertur*, atque ideo qui huic succedit non uiuenti, sed defuncto quodammodo episcopo probatur substitui.”

³⁰ Dictum Gratiani p.c. 42 C. VII q. 1: „...Est etiam alias casus, in quo episcopus uiuente episcopo substituitur. Cum enim aliquis *relictus priori cathedra sua auctoritate ad aliam transierit*, si alius ei substitutus fuerit, licet ille prioris ecclesiae *episcopus esse non deiserit*, substitutus tamen *episcopatum habebit.*”

ex consecratione adipiscuntur", in similibus casibus de potestate officii vel de potestate sacerdotalium officiorum aperte loquitur.

Et sic monachi, sicut et ceteri sacerdotes, in „dedicatione sui presbiteratus" potestatem baptizandi, praedicandi, poenitentiam dandi, peccata remittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi accipere dicuntur. Quae potestas sacerdotalis officii potestas³¹ vel sacerdotalium officiorum potestas³² vel potestas sacerdotalia officia administrandi vel simpliciter potestas vocatur³³.

Potestas haec in consecratione vel benedictione accipi dicitur³⁴, et aut simpliciter nomine potestatis, aut nomine potestatis officii vocata sacerdotalem unctionem sequi et in sacerdotali unctione accipi asseritur³⁵, eodem. igitur modo atque „officium", quod in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 ex consecratione proveniri affirmatur.

Cum igitur in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 Gratianum nomine officii potestatem significasse constet, quaestio, utrum nomine hoc potestas sacramentalis, an potestas non sacramentalis denotata fuerit, examinanda est.

B. De variis officiorum generibus

1. De officiis ordinum sacramentalem characterem habentibus

Ex variis enuntiationibus Gratiani differentiam inter officia ratione ordinis et officia ratione iurisdictionis, ut hodie dicitur, considerata, a Magistro perceptam esse concludi potest.

Casus officii ratione ordinis considerati in fine dicti introductorii

³¹ Dictum Gratiani p.c. 19 C. XVI q. 1; vide supra, pag. 22; Dictum Gratiani p.c. 39 C. XVI q. 1: „Superiori auctoritate non prohibentur abbates scacerdotes fieri, cum B. Benedictus iubeat abbatem fratribus egrotantibus et regredientibus benedictionem dare, quod non est nisi sacerdotum. Lectionem quoque euangelii similiter ad legendum abbas tribuit, quam subsequenti oratione legere similiter sacerdotalis officii est. Sed tales sacerdotes uel diacones fieri prohibet, qui in ecclesiastica milicia cogantur ingriter permanere."

³² Dictum Gratiani p.c. 20 C. XVI q. 1:Quod uero sacerdotalium officiorum potestatem habeant, testatur Ambrosius, dicens..."

³³ Dictum Gratiani p.c. 25 C. XVI q. 1: „His omnibus auctoritatibus perspicue monstratur, monachos posse penitenciam dare, baptizare, et cetera sacerdotalia officia licite administrare. Quod uero populi electione, episcoporum institutione, et abbatis consensu potestatem suam exequi ualeant, Ieronimi, Gelasii et Gregorii auctoritate probatur."; Dictum Gratiani p.c. 36 C. XVI q. 1: „His omnibus auctoritatibus monstratur, quod monachi, qui a populo sunt electi, et ab episcopo cum consensu sui abbatis sunt ordinati, legitime potestatem suam exequi ualent."

³⁴ Dictum Gratiani p.c.. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. 26 nota 16.

³⁵ Dictum Gratiani p.c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. 16—17.

C. XV habeturur, ubi legimus: „Octauo queritur si sponte confessus aut ab aliis conuictus fuerit, quod ante ordinationem peccauerit, an suscepti ordinis officium sibi exequi liceat?”

De duplice enim re, scilicet de officio suscepti ordinis, de quo ne quaestio quidem movetur, utrum amitti possit necne, et de licentia hoc officium exsequendi danda, aut deneganda, hic agitur.

De sacramentali autem atque inamissibili charactere officii ordinis ex eo cognoscitur, quod Gratianus ordinatos ab haereticis, cum ad Ecclesiam ex haeresi redierint, officio suscepto fungi non posse asserit³⁶.

Ut enim supra dictum est, secundum Gratianum tantum in collatione ordinis episcopatus et presbyteratus extra Ecclesiam peracta officium datur et accipitur, ita tamen ordinati ad Ecclesiam redeuntes officio accepto fungi prohibentur.

2. De officiis ordinum sacramentalem characterem non habentibus et de officiis ad iurisdictionem spectantibus

Ordinibus sacramentalibus et inammissibilibus a Gratiano admissis etiam officia horum ordinum sacramentalem characterem habentia amitti non posse concludendum est. Gratianus tamen ordines non sacramentales, ut *diaconatum* et *ordines eo inferiores* ab haereticis dari non posse tenet, idcirco si ita collati sint, eos in Ecclesia iterandos esse affirmat³⁷.

Quia autem cum his ordinibus Gratianus officia quaedam coniuncta esse tenet³⁸, sequitur, ut officia eiusmodi sacramentalem characterem secundum eum non habeant.

³⁶ Dictum Gratiani p.c. 4 C. I q. 7: „Ex hac auctoritate datur intelligi, quod qui ab unitate catholicae fidei in hereticorum societatem transierit, ut de manibus eorum ecclesiasticae dignitatis sacramenta percipiat, uel qui contemptis orthodoxis ab hereticis ordinari desiderauerit, et postea suae abrenuncians heresi ad ecclesiam redierit, officio tamen accepto fungi non poterit. Auctoritate uero Cipriani (C. I q. 7 c. 1) prohibentur ab administratione ecclesiastica, qui intra catholicam ecclesiam ordinati ad fidei impugnationem dilabuntur. Porro symoniaci nec ab hereticis ordinantur ad fidei subuersiōnē, nec intra ecclesiam catholicam ordinati aduersus fidem armantur. Quamuis enim nonnullos per pecuniam ordinant, non tamen fidem impugnant, nec gratiam Spiritus sancti uenalem predican. Unde cum heresim suam ueraci penitentia detestati fuerint, premissis auctoritatibus non prohibentur recipi in suis gradibus. Verumtamen capitulo illo Nicenae sinodi (C. I q. 1 c. 9): „Si quis per pecuniam etc.” et illo alio septimae sinodi (C. I q. 7 c. 2): „Si quis omnem traditionem etc.” et Innocentii (C. I q. 1 c. 73), et aliorum multorum auctoritatibus irreparabiliter dampnari iubentur.”

³⁷ Dictum Gratiani p.c. 23 C. I q. 7; vide supra, pag. 21 nota 6.

³⁸ Iam ex verbis in fine dicti Gratiani p.c. 23 C. I q. 7 allatis: „His quamuis ab hereticis ordinentur, tamen ad ecclesiam redeuntes in eodem ordine... ab ecclesia ordinentur, nec fiet in eis reiteratio muneris,

Praeter officia ordinum, ex his autem quaedam sacramentalem characterem habentia, quaedam vero sacramentali charactere non praedita, Gratianus de aliis quoque officiis loquitur, quae officia iurisdictionis in primatu fundata vocari possint.

De eiusmodi officio in epistola Gregorii Papae anno 601 scripta et in C. II q. 7 c. 40 relata legimus:

„Petrus potestatem regni acceperat, et tamen idem apostolorum primus querimoniae contra eum a fidelibus factae, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officii (qua posset dicere, oues pastorem suum non accusent nec reprehendant), sed auctoritate diuinae uirtutis, qua gentiles acceperant Spiritum sanctum, respondit.”

In dicto autem post hanc auctoritatem annexo Gratianus scribit: „Cum ergo Petrus potuit ex officio repellere querelas, sed noluit, non hoc exemplo coguntur prelati suscipere reprehensionem subditorum.”

Hac enuntiatione cum auctoritate Gregorii collata non est dubium, quin verbis „ex officio” Gratianus officium denotavit in potestate regni consistens illudque in primatu prae ceteris Apostolis fundatum, quod omnia alia officia in ordinum collatione danda excedit.

In enuntiationibus Gratiani sermo est de officio abbatis³⁹, de archipresbytero officium suum dereliquenti⁴⁰, ergo de officiis, quae ordinis non sunt.

Praeterea Magister loquitur de cessatione officii administrandi, scilicet in dicto p.c. 39 C. I q. 1: „sacramenta, que sunt dignitatis... dignitates esse desinunt, non ut minuatur ueritas sacramenti, sed ut cessen^t officium administrandi, uel loco, uel tempore...”, de detractione officii in dicto p.c. 30 C. XI q. 1⁴¹, de privatione officii cum nihil ab hereticis eis doceatur fuisse collatum” nomine *muneris officium significatum esse patet*. De officiis cum ordinibus coniunctis constat etiam ex dicto introductorio D. XXI; vide supra, pag. 24 nota 16.

³⁹ Dictum Gratiani p.c. 8 C. XVIII q. 2; vide supra, pag. 26 nota 16.

⁴⁰ Dictum introductorium C. XXI: „Archipresbiter cuiusdam ecclesiae preposituram alterius accepit, nec priorem uult relinquere... claris et fulgidis uestibus se exornans ab episcopo suo corrigitur; relict^o suo officio ad secularem iudicem habet confugium. (Qu. I) Queritur, an clericus in duabus ecclesiis possit conscribi?...”

⁴¹ Dictum Gratiani p.c. 30 C. XI q. 1: „Ex his omnibus datur intelligi, quod in ciuili causa clericus ante ciuilem iudicem est conueniens. Sicut enim ecclesiasticarum legum ecclesiasticus iudex est administrator, ita et ciuilium non nisi ciuilis debet esse executor. Sicut enim ille solus habet ius interpretandi canones, qui habet potestatem condendi eos, ita ille solus legum ciuilium debet esse interpres, qui eis ius (Nota Friedb.: virm: EGH) et auctoritatem impertit. In criminali uero causa non nisi ante episcopum clericus examinandus est. Et hoc est illud, quod legibus et canonibus supra diffinitum est, ut in criminali uidelicet causa ante ciuilem iudicem nullus clericus producatur, nisi forte cum consensu episcopi sui; ueluti, quando incorrigibiles inueniuntur, tunc *detracto eis officio* curiae tradendi sunt.”

in dicto p.c. 10 C.I q. 4: „Offitio autem, uel beneficio ecclesiae priuari, spiritualis pena est...”, similiter in dicto p.c. 6 D. IV⁴² et in dicto introductorio C. XXIV⁴³.

Ex promiscua nominum *officium* et *honor* in dicto p.c. 6 D. IV adhibitione de simili horum nominum significatione concludi potest. Etiam ex promiscua nominum officium et *honoris cingulum* in dictis p.c 30 et 47 C. XI q. 1 adhibitione de simili horum nominum significatione concludendum est⁴⁴.

Denique Magister eum, qui ecclesiam vacantem simoniace ingressus est, ab officio suo *deponendum* esse asserit⁴⁵ atque casum considerat, utrum clericus ab episcopo suo ab officio hanc ob causam *suspensus*, quia alium clericum apud iudicem saecularem conveniri fecit, et qui contra prohibitionem episcopi officium suum administravit, deponendus sit, necne⁴⁶.

Quaeri igitur potest, quaenam secundum Gratianum inter su-

⁴² Dictum Gratiani p.c. 6 D. IV: „Hec etsi legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt: alioquin *his non obedientes proprio priuarentur honore*, cum illi, qui sacris nesciunt obedire canonibus, penitus *officio iubeantur carere suscepto*.”

⁴³ Dictum introductorium C. XXIV: „Quidam episcopus in heresim lapsus *alios de sacerdotibus suis offitio priuauit*, et sentencia excommunicationis notauit. Post mortem de heresi accusatus dampnatus, et sequaces eius cum omni familia sua. (Qu. I.) Hic primum queritur, an lapsus in heresim possit aliquos *offitio priuare*, uel sentencia notare?...”

⁴⁴ Dictum Gratiani p.c. 30 C. XI q. 1; vide supra, pag. 32 nota 41; Dictum Gratiani p.c. 47 C. XI q. 1: „Ex his omnibus datur intelligi, quod clericus ad publica iudicia nec in ciuili, nec in criminali causa est producendus, nisi forte ciuilem causam episcopus decidere noluerit, uel in criminali sui *honoris cingulo eum nudauerit...*”; Dictum Gratiani p.c. 11 C. VII q. 1; vide supra, pag. 29 nota 27. — Nominibus *officium* et *honor* etiam Augustinus promiscue utitur eo ipso significationem horum nominum similem esse insinuans, ut ex C. I q. 1 c. 97 § 2 patet; vide supra, pag. [36].

⁴⁵ Dictum Gratiani p.c. 32 C. VII q. 1: „Qui uero precio ecclesiam vacantem ingressus fuerit, ab *offitio suo deponendus est*, sicut in Rotomagensi Concilio legitur.”

⁴⁶ Dictum introductorium C. XI: „Clericus aduersus clericum questionem de prediis agitauit, quem ad ciuilem iudicem producere uoluit reus non nisi ante iudicem ecclesiasticum stare uolebat; actor uero potentia ciuilis iudicis illum a possessione sua deiecit. Quo auditio *episcopus eum ab offitio suspendit; ille contempta episcopi sui sententia offitium suum administravit*. Hoc conperito *episcopus sine spe restitutionis in eum sententiam dedit*. (Qu. I.) Hic primum queritur, utrum clericus ante ciuilem iudicem sit producendus? (Qu. II.) Secundo, si producendus non est, an hec culpa sit digna suspensione? (Qu. III.) Tertio, si digna non fuerit, *an contemptorem sui episcopi inreparabiliter oporteat deponi?*”; Dictum introductorium q. 3 C. XI: „Sed ponatur, quod hec culpa suspensione digna non fuerit; queritur, *utrum sit deponendus qui offitium contra prohibitionem episcopi celebrare ausus est?* Sed quod sententia episcopi, siue iusta siue iniusta fuerit, timenda sit, Gregorius (hom. XXVI. in euangelia) testatur, dicens...”

sensionem et depositionem differentia sit, et quinam nexus inter utramque hanc poenam et officium existat.

Ex eo, quod Magister praefatum casum considerans clericum ab episcopo suo ab officio suspensum officium suum administrasse dicit, suspensionem secundum Gratianum in prohibita administratio-ne officii consistere concludendum est⁴⁷.

Episcopus in clericum officium suum contra prohibitionem admi-nistrantem „sine spe restitutionis” sententiam tulisse asseritur, et Magister quaerit, an contemptorem sententiae sui episcopi „inre-parabiliter oporteat deponi?” Ex hoc suspensionem a depositione secundum Gratianum in eo differri concludendum est, quod sus-pensus „reparari” possit, depositus vero „inreparabiliter” puniatur.

Congruenter cum his assertio Gratiani in dicto p.c. 4 D. LXXXII: „Qui autem propter peccatum iubetur deponi, post condignam penitenciam *in suo ordine poterit reparari*”⁴⁸ de suspensione vel de emollitione primitiae poenae depositionis, assertio vero in dicto p.c. 23 C. I q. 7: „§ 3. Sed illud Gregorii de his intelligitur, qui consecrationem sacerdotalem uel episcopalem acceperunt, qui aut per manus inpositionem, cum ad ecclesiam redeunt, *effectum suaे unctionis* accipiunt, aut ab eius *administratione* perpetuo cessare iubentur” de perpetua depositione intelligenda est.

Quia deinde clerici ante saecularem iudicem, „nisi prius depo-siti, uel nudati fuerint”⁴⁹ vel nisi cum consensu sui episcopi et „detracto eis offitio”⁵⁰, secundum Gratianum producendi non sunt, sequitur, ut nominibus his promiscue adhibitis depositio denotata sit.

Quia autem, ut demonstratum est, nomina: „officium”, „honr” vel „honoris cingulum” promiscue a Gratiano adhibentur, idcirco et similem significationem habent, depositio autem in perpetua ademptione officii consistit, ea ergo, quae de officii detractio-ne, amissione honoris vel cinguli honoris vel nudatione dicuntur, de depositione intelligenda sunt.

Depositio igitur secundum Gratianum in ademptione officii ta

⁴⁷ Hoc patet etiam ex dicto Gratiani p.c. 37 C. XXIV q. 1: „§ 1. ...Sed aliud est potestas offitii, aliud executio. Plerumque offitii potestas uel accipitur, ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel accepta sine sui executione retinetur, ueluti a suspensis, quibus amministratio inter-dicitur, potestas non aufertur.”

⁴⁸ Quod hic de depositione ad tempus duratura, in dicto Gratiani p.c. 18 C. II q. 5 de suspensione legimus: „...Sed cum *in Ylerdensi concilio presbiter iubeatur suspendi usque ad dignam satisfactionem...*”

⁴⁹ Dictum Gratiani p.c. 26 C. XI q. 1; vide supra, pag. 24 nota 15.

⁵⁰ Dictum Gratiani p.c. 30 C. XI q. 1; vide supra, pag. 32 nota 41.

consistit, ut inter cetera administratio officii irreparabiliter interdicta, non vero ipsa sacramentalis potestas officii adempta sit.

Quia denique ordinati extra Ecclesiam et postea ad eam redeuntes quandoque officio fungi non posse, quandoque vero in suis gradibus recipi non prohiberi a Gratiano asseruntur, ex promiscua adhibitione expressionum: *officio fungi non posse*, et *in suis gradibus recipi* non prohiberi⁵¹, utraque hac expressione etiam administrationem officiorum permissam vel prohibitam a Magistro denotatam esse concludendum est.

C. De nomine officii in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 sacramentalem ordinis potestatem denotanti

Quia, ut demonstratum est, Gratianus officia nota potestatis praedita eaque sacramentali characterem habentia agnoscit, nihil igitur obstat, quominus etiam in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 simile officium hoc nomine denotet, scilicet notam potestatis sacramentalis prae se ferens, quod nonnisi hac de causa cum nominibus: potestas distribuendi sacros ordines, et potestas accepta sacramento tenus, promiscue adhiberi poterat.

Ut dictum est, in fine dicti introductorii C. XV Gratianus asserit: „Octauo queritur si sponte confessus aut ab aliis conuictus fuerit, quod ante ordinationem peccauerit, an suscepti ordinis officium sibi exequi liceat?

In hac enuntiatione Gratiani eodem modo res se habet atque in assertione in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 allata: „Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, officium et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestantem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur.”

Ut enim in dicto introductorio C. XV, sic in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 ex alia parte de officio, ex alia vero de exsecutione officii sermo est. Quae autem in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 nomine officii denotata sunt, verbis: „potestas distribuendi sacros ordines”, et „potestas accepta sacramento tenus”, ibidem allatis et nomini „officium” parallelis explicantur.

Si deinde in unica distinctione in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 peracta duobusque elementis constanti elementum primum parallelis expressionibus: „potestas distribuendi sacros ordines”, „officium”, et „potestas accepta sacramento tenus” signatum sacramentale et inamissibile esse ut debes admittes, nomine officii sacramentale

⁵¹ Dictum Gratiani p.c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. 31 nota 36.

quoque ordinis potestatem simili modo ac nominibus: „potestas distribuendi sacros ordines , et „potestas accepta sacramento tenus” a Gratiano denotatam esse concludere debebis.

Licet enim Magister aliquando de officiis sacramentalibus, quae amitti non possunt, aliquando autem de officiis non sacramentalibus quae amitti possunt, disserat, nihilominus tamen ex ipsa structura fragmenti in § 3 memorati dicti allati Gratianum nomine officii ibidem adhibito sacramentalem ordinis potestatem significasse constat.

Horum igitur omnium ratione habita nominibus: *potestas distribuendi sacros ordines, officium, et potestas accepta sacramento tenus* unam eandemque sacramentalem ordinis potestatem a Gratiano denotatam esse concludendum est.

Nunc autem quaestio de significatione nominum: *exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines; exsecutio officii, et effectus potestatis acceptae sacramento tenus*, a praefata potestate sacramentali in § 3 dicti p.c. 97 C. I q. 1 a Gratiano distinctorum et alterum huius distinctionis elementum constituentium similiter examinanda est.

(*continuabitur*)